

(1278) 1279, gener, 2

Ramon de Madremanya, d'Ullastret, reconeix ser home propi de Gueraua, esposa d'Arnau de Ribera, cavaller de Calonge;

ASD núm. 245, perg. orig., 150 x 180 mm.

Sit notum cunctis quod ego Raymundus de Matremagna de Uliastreto recognosco et concedo me esse proprium hominem et solidum a uobis domina mea Geralda, uxore Arnalli de Riparia, militis de Colonico et de uestro herede et omnem prolem a me descendenterem quam modo habeo uel de cetero Deo dante habuero unquam, sicut melius <luci uel intelligi potest ad tuum bonum et sanum intellectum, ita quod non clamabo nec requiram alium dominum neque aliam dominam nisi uos et uestros, et promito uobis et uestris esse fidelis et legalis et per bonam fidem et per firmam condicionem hominem uestrum et solidum et quietum et de uestro herede in omnibus et omnem prolem meam presentem et futuram, ad omnem uestram uestrorumque uoluntatem omni tempore faciendam, et promito uobis et uestris bona fide et fide(sic) dare et sine enganno racione donacionis et pro censu unum bonum par caponum recipientem annuatim scilicet in festo Natalis Domini, et hoc promito uobis et uestris bona fide et sine enganno attendere et completere sicut superius est dictum ad omnem uoluntatem et de uestro herede, obligando ad hec omnia supradicta et singula me et omnia · bona habita et habenda ubique, renunciando omni beneficio diuidende accionis, et iuro in Deum et super sacrosancta .nu.or Dei Euangelia corporaliter tacta hec omnia supradicta attendere et completere sicut superius est dictum ad uestram uoluntatem.

Actum est hoc .nn. nonas ianuarii anno Domini .MCCLXXVIII.

Sig+num Raimundi de Matremagna qui hoc firmo et laudo. Huius rei sunt testes Ademarius Bernardi de Anglada et Berengarius Ferrarius de Matremagna.

(s. man.) Arnallus de Crosa presbiter, tenens locum Iohannis Baiuli, publici notarii de Palamos domini regis, qui hoc scdpsit die et anno quo supra.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 505-506